



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Constantinop. Imperatori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

præbente assensum, dilectum filium Iotunc Priorem suum, virum (sicut dicitur) literatum, providum, & discretum, canonicè in Abbatem & concorditer elegerunt. Cùmque idem electus pro confirmatione suæ electionis ad nostram præsentiam festinaret, propter inedia[m] paupertatis, qua[m] monasterium ipsum plurimum asseritur aggravatum, necnon & causa metus, fuit ab ipso itinere revocatus. Quoniam igitur nobis de rei veritate plenè constare nequivit, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus de forma electionis & de persona electi diligenter inquiras: & si inveneris formam electionis & electi personam idoneam, eam auctoritate nostra omni contradictione vel appellatione cessante confirmes, & munus ei benedictionis impendas, ab eo juramentum recipiens sub ea forma quam sub Bulla nostra tibi mittimus interclusam. Datum Perusij, XVIII. Kal. Octobris.

ILLVSTRI CONSTANTINOP.
Imperatori.

Imperialis excellentiæ magnitudo si se coram eo humiliaverit qui humilia respicit & alta à longè cognoscit, & super eo sui stabilierit imperij fundamentum præter quod aliud poni non potest, quod est ipse Iesus, & super quo ipse Dominus noster nascentis Ecclesiæ posuit fundamentum, *Super hanc petram, inquit, edificabo Ecclesiam meam, exaltabitur & elevabitur, quoniam omnis qui se humiliat exaltabitur, secundum testimonium veritatis; & firmabitur, & non flectetur, quoniam ædificium quod super hoc fundamentum consistit, nec casum timet, nec ad machinas formidat hostiles. Ut autem firmius & fortius Imperium tuum in hujus fundamenti firmitate persistat, oportet ut Deum universis tuis affectibus anteponas, & sponsam ejus Rom. Ecclesiam, cujus ipse fundamentum & fundator existit, præcipuè venereris, ut dum in dilectione sponsi & sponsæ persistiteris unitate, ex nulla parte celsitudinis tuæ sublimitas quatiatur. Verùm ut non ad detractionem sed tuam potiùs correctionem loquamur, miramur nõ modicum, murmurat etiam adversum te populus Christianus, immo & ipse Iesus, ubi ille te increpat: *Hospes fui, & non collegisti me, infirmus, & non visitasti me in carcere, & non ve-**

nisti ad me. Cùm enim peccatis nostris exigentibus venerint gentes in hereditatem Domini, & coinquinaverint templum sanctum ejus, immo & ipsum Iesum Christum quodammodo captivaverint, lignum sanctæ crucis, in qua salus mundi pependit, & delevit chirographum mortis antiq[ue], (in qua etiam Apostolus se asserit gloriari, *Mihi absit, inquit, gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*) nec Christo exuli subvenire nec ad liberationem terræ nativitat[is] ipsius intendere hætenus, sicut debueras, curavisti; cùm tam ex vicinitate locorum, quàm abundantia divitiarum tuarum, & potentia, qua inimicos crucis munere divino præcellis, id potueris commodius & expeditius aliis Principibus adimplere. Est etiam aliud propter quod non solum adversus te, immo adversus Romanam Ecclesiam, quæ id hætenus quasi sub dissimulatione transivit, murmurat populus Christianus. Cùm enim Dominus noster unam sibi sponsam elegerit, non habentem maculam, neque rugam, (juxta quod in Canticis protestatur, *Vna est, inquit, dilecta mea, sponsa mea, columba mea.* & in Evang. dicit: *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili. & illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile, & unus pastor.*) cùm etiam inconsutilis tunica Christi divisa non fuerit, & in Symbolo contineatur expressè, *Credo unam sanctam catholicam & apostolicam Ecclesiam,* Græcorum populi ab unitate apostolicæ sedis & Romanæ Ecclesiæ recedentes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est & magistra, sibi aliam Ecclesiam confinxerunt, si tamen quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda. Ut igitur in utroque prædictorum murmur sileat populi Christiani, immo ut Christum tibi reddas propitium, celsitudinem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus postpositis aliis sollicitudinibus viriliter ac potenter assurgas in adjutorium Iesu Christi, & ad terram ipsam, quam ipse proprio sanguine comparavit, (de qua in Psalmo habetur: *Homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.* & alibi: *Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.*) liberandam de manibus paganorum, & restituendam pristinæ libertati, ut in ea nomen Domini glorificetur

Epist. 333.
Vt Saracenis
fortiter resistat,
& Græcorum Ec-
clesiam ad La-
tinam, & quam
murem, redire
cogat.

Epist. 333.
De celsi-
tudine
ac libertate
ecclesie

in secula, sicut tantus Princeps manum extendas, & exercitum dirigas copiosum, sperans in eo qui est spes omnium, qui non deserit sperantes in se, quod paganorum multitudinem à facie tui exercitus effugabit. Nos enim remissionis & protectionis, quam propter hoc aliis Principibus Christianis indulsumus, te volumus esse participem, dummodo ad succursum terræ sanctæ potenter assurgas. Studeas etiam, immo sicut potes efficias, ut Græcorum Ecclesia redeat ad sedis apostolicæ unitatem, & ad matrem filia revertatur: ut oves Christi ab uno pastore regantur, sicut ei mandatur à Domino: *Diligis me, Simon Petre? Pasce oves meas.* ut & sub uno capite cuncta membra corpori connectantur, illo videlicet cui Dominus ait: *Tu vocaberis Cephas, quod caput interpretatur.* Alioquin, quantumcunque nobis molestum existeret serenitatem tuam in aliquo molestare, non possemus ulterius sub dissimulatione transire, quin nostrum exequeremur officium, cum per Dei misericordiam tempus acceperimus justitiam judicandi. Inspiret autem animo tuo ille qui ubi vult spirat, ut ad honorem & salutem tuam & exaltationem Ecclesiæ tanquam devotus filius paternam exhortationem admittas, præsentans nobis materiam immo causam quòd ad honorem & profectum imperatoris celsitudinis, sicut in proposito gerimus, efficaciter intendere debeamus. Mittimus autem ad tuam sublimitatis præsentiam dilectos filios Albertum Subdiac. & Capellanum nostrum apostolicæ sedis Legatum, & Albertinum cameræ nostræ Notarium, familiares nostros, quos suæ prohibitatis & honestatis obtentu sincerae caritatis brachiis amplexamur, in his quæ tecum tractanda sunt seu etiam statuenda pari præditos potestate: qui tecum super prædictis & aliis quæ tibi ex parte nostra proponuntur, & nobis ex parte tua fuere proposita, tractent & statuunt quæ ad honorem Ecclesiæ ac profectum imperij pertinuerint, quibus & serenitatem tuam fidem indubitam volumus adhibere. Licet enim majores ad te possemus nuncios destinare, istos tamen ad hoc prælegimus, ut dum minus quæ sua sunt quæsierint, communi profectui, Ecclesiæ scilicet & Imperij, sollicitè magis & diligenter insistant: quos serenitati tuæ propensius commen-

damus, rogantes attentius ut eos honorificè ac benignè recipias, & sicuti decet magnificum & munificum Principem, sine dilatione remittas, ut operemur dum tempus habemus. Ad hæc, dilectos filios Ildeb. & Iohannem Gregorij nuncios tuos benignè recepimus, quorum fidem & prudentiam nostro tibi testimonio commendamus super his quæ ipsis ab imperiali magnificentia commissæ fuerant exequenda.

P A T R I A R C H Æ
Constantinopolitano.

R Eprobata quondam propter ingratitudinis vitium perfidialudæorum, & oblato synagogæ (quia non cognovit tempus visitationis suæ) libello repudij, unam sibi Ecclesiam ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam, Dominus noster elegit, juxta quod legitur in Canticis canticorum: *Vna est electa mea, sponsa mea, immaculata mea.* Ipse quoque Dominus Iesus Christus unum esse ovile ovium, unum pastorem, in Evangelio protestatur, & in Apostolorum Symbolo unam esse catholicam & apostolicam Ecclesiam fides catholica profiteretur. Hanc autem idem Dominus Iesus Christus in se ipso lapide angulari fundavit, & ejus magisterium Apostolorum principi beato Petro, cui licet sufficientes, in apostolatus successimus dignitate, concessit: *Tu es,* inquit, *Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* & paulo post subdidit: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* & etiam curam ovium suarum eodem verbo tertio repetito commisit, dicens: *Pasce oves meas.* & quòd ejus fides nunquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in Evangelio: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficeret fides tua. & tu conversus aliquando confirma fratres tuos.* Præterea licet universis Apostolis dixerit in communi, *Accipite spiritum sanctum, ut quorum remiseritis peccata remittantur eis,* ad eum tamen verbo utitur speciali dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, (si tamen quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda) & ab apostolicæ sedis unitate recessit, nec constitutionem Domini nec Petri magisterium imitatus, & inconsu-

Epist. 354.
Quod Romani
Ecclesia sit ma-
ter omnium Ec-
clesiarum, à qua
Græci nullo mo-
do discedere
possint.

Epist. 354.
In eam Reges
Anglorum pa-
triarcho, &
archiepiscopo
Anglorum scri-
psit quædam